

tulo creationis, et esse quod conservat Deus, et ipsamet actio obsequendi et honorandi ex Dei influxu est. In summa: sicut non potest corpus obligare animam in actionibus vitalibus quas exercet, quia ab ipsa anima oriuntur, multo minus creatura Deum, quia omnes actiones ejus ab ipso oriuntur, ut a primo principio, et prima radice omnium: *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* Quis ergo actione sua potest ei debitum et obligationem injicere et fundare jus commutativum, si omnia ista ab eo sunt et sub perfecto et summo ejus dominio? Atque adeo potest illis uti libere ut voluerit, tamquam suis: non ergo illis potest obligari et onerari, quia qui obligatur, non potest uti ut voluerit, sed juxta obligationem suam, alias violat jus alterius. Quod autem in suppliciis infligendis justitiam observet sine aliqua promissione interveniente aut pacto, non est mirum: id enim facit ex justitia distributiva, et suprema providentia sua, quia decernit pœnam delictis juxta delictorum mensuram, neque ad hoc indiget pacto, quia ex natura rei debetur culpæ non remissæ supplicium. In bonis autem operibus, quia multis titulis debentur, et a Deo acceptari possunt, necessarium est pactum ut determinetur a Deo titulus acceptandi illa ad remunerandum tali præmio quod ipsi conforme, et adæquatum est, ut sequenti articulo dicetur.

XXII. Ultimo arguitur, quia in præmiandis bonis operibus justorum invenitur sufficiens ratio ad fundandum debitum justitiæ distributivæ, quia hæc datur in Deo, ut D. Thomas fatetur, et nos dicemus sequenti articulo, ergo etiam datur fundamentum ad admittendum justitiam commutativam, semotis imperfectionibus dati, et accepti quod transferat dominium in Deum, et in

eo oriri faciat debitum seu obligationem ex vi juris alterius. Consequentia probatur, nam in primis justitia distributiva est species strictæ et specialis justitiæ, et inducit debitum seu obligationem in distribuente, ut juxta proportionem dignitatis meritorum distribuat. Ex hac ergo parte si non repugnat debitum, et obligatio in distribuendo, cur repugnabit in commutando? Ex alia autem parte conditiones requisitæ ad justitiam commutativam, et distinguentes a distributiva, Deo non repugnant. Sunt autem tres. Prima, quod servetur æqualitas juris inter rem et rem, datum et acceptum. Secunda, quod interveniat commutatio seu communicatio aliqua dati et accepti inter partes. Tertia, quod resultet debitum, et obligatio in una parte ex actione et jure alterius interveniente pacto. Prima, Deo non repugnat, quia Deus retribuit meritis præmium æquivalens et commensuratum eis, et tantum pro tanto: ergo facit æqualitatem inter rem et rem. Secunda invenitur, quia inter meritum et præmium, inter satisfactionem et remissionem invenitur commutatio quædam, licet non rerum corporalium, sed spiritualium: ergo ex hac parte non deest commutatio. Tertia denique datur, quia interveniente pacto Dei, et promisso, Deus redditur debitor ex justitia, ita quod id quod reddit, reddat alteri tamquam suum, et debitum illi, juxta illud Matth. xx: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade.* Si ergo conventio et pactum facit ut id quod alteri reddit, sit suum, etiam facit, ut ex justitia reddatur, quia justitia solum petit ut reddat unicuique suum.

Confirmatur, quia licet inter homines et Deum non possit esse datum, et acceptum ea proprietate, qua inter homines, in quibus datum

transfert in alterum dominium quod non habebat, et sic inducit obligationem, tamen potest deferri aliquid cui correspondeat et commensuretur aliquid sibi æquale et debitum, sicut deferimus Deo obsequium, et cultum et servitutum, cui correspondet æstimatio, et laus Dei, quia tunc erit laus unicuique a Deo: ergo sufficienter salvatur materia justitiæ, remotis imperfectionibus, quas habet in nobis.

XXIII. Respondetur negando consequentiam. Et ad primam probationem dicitur longe differre inter debitum justitiæ distributivæ, et commutativæ, ut dicemus articulo sequenti, quia debitum, et obligatio commutativæ fundatur in jure quod alter acquirit contra me; unde requiritur quod prior det mihi, ut ex vi talis dati ergo ei retribuam. Si vero illud ipsum quod dat mihi, nascitur ex me, et est sub meo dominio et dispositione, etiam prout datur, quia beneficio meo dat illud, quomodo inde potest oriri stricta obligatio, ut ego ei retribuam? Sed solum ex mea voluntate possum ei obligari, quod reducitur ad promissionem, et fidelitatem. At vero debitum distributivæ non nascitur ex jure alterius erga distribuente, aut ex actione circa ipsum, sed ex naturali rectitudine, et ipsa lege æquitatis, qua tenetur distributum commensurare præmia proportioni meritorum, et non secundum alios extrinsecos respectus qui non conducunt, ea dare. Quod debitum in principe humano obligat sub lege ex ordinatione naturalis legis quæ est a Deo; in ipso vero Deo, quia non habet legem sibi impositam ab alio, nascitur ex eo quod ipse est ipsa lex, et ipsa natura summæ rectitudinis, et regula omnium. Ad alteram probationem dicitur, illas tres conditiones non reperiri simul in Deo. Nam prima reperitur quidem, quia

facit æqualitatem inter res, ideoque servat pro hac parte, seu ex parte ipsius materiæ modum justitiæ commutativæ non ex parte rationis formalis, hoc est juris, et debiti. Secunda autem et tertia non reperiuntur ut requiritur ad rationem juris commutativi, et justitiæ, quia datum et acceptum inter Deum et creaturas non est simpliciter, ita quod sit inductivum juris in creatura et obligationis in Deo: totum enim quod offerimus Deo, vel obsequium, honorem et cultum, omnia hæc damus vel offerimus accipiendo a Deo: *Quæ enim accepimus de manu tua reddimus tibi,* et consequenter omnia quæ commutavimus seu offerimus Deo, damus ei sub ratione debiti ipsi Deo: ergo non ut causantis debitum in eo, sed reddentis ei quod nos debemus, quia ab ipso habemus. Et sic tale datum non est per viam commutationis, et inducentis jus aut obligationem in ipso, sed debitum nostrum reddentis, quia nulla est actio in qua non operemur ut servi, et ut ab ipso, et beneficio ipsius. Unde deest etiam tertia conditio, quia debitum et obligatio in Deo non potest induci ex vi commutationis quasi actio ipsa et commutatio sit ratio fundans debitum in Deo. Quod vero interveniat pactum aut promissio Dei, nihil refert, quia si ipsa actio seu opus super quod cadit pactum aut promissio non est de se sufficiens ad inducendum jus, et obligationem in Deo, ita quod pactum solum se habeat ut conditio, et explicatio ipsius vis obligandi, non consurgit justum commutativum, quia non fundatur in ipso onere actionis seu commutationis erga alterum. Sed tale pactum seu promissio solum erit explicatio voluntatis obligandi se spontanee, et ex gratia sua, non ex onere actionis erga se; et sic solum consurget debitum fidelitatis et decentiæ, non



justitiæ commutativæ, quantum est ex vi promissionis et pacti. Nec obstat quod pactum facit id quod redditur alteri esse suum, quia facit suum jure promittentis, et spontanei pacti, non onere justitiæ, et jure commutationis, seu actionis: potest enim fieri suum, etiam ex gratia, dono alterius.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, quod illud obsequium quod reddimus Deo, accipimus ab ipso; et sic licet habeat commensurationem ex parte rei cum re, quæ sibi datur in præmium, non tamen ex parte juris, et obligationis onerosæ, ita quod in Deo consurgat debitum ex vi talis dati, et talis obsequii ipso jure commutationis; et sic non facit justum commutativum respectu personarum, licet servetur modus commutationis ex parte æqualitatis in materia et rebus ipsis in quibus versatur pactum et actio.

#### ARTICULUS IV.

*An sit in Deo justitia distributiva et vindicativa?*

Ad idem punctum revocatur ista difficultas atque præcedens, videlicet ut discutiamus, an in ipsa formali et intrinseca ratione et objecto distributivæ justitiæ inveniatur aliquid imperfectionis, et sic non possit Deo tribui; an vero imperfectio quam apud nos habeat, non sit illi essentialis, et per se, sed possit ab illa purificari, et ita Deo attribui. Unde tota hujus difficultatis lux atque discussio pendet ex explicatione rationis formalis justitiæ distributivæ, ejusque differentie a commutativa.

#### QUID PRÆSUPPONENDUM.

I. Igitur circa explicandam formalem et essentialem rationem hu-

jus virtutis, et jus seu debitum quod observat, et in quo distinguitur a commutativa, observandum est quod principalis differentia inter commutativam et distributivam justitiam, est, tum in ipsa materia circa quam utraque versatur, tum in ratione debiti, seu juris et obligationis, quæ in utraque resultat; et inde consequitur differentia inter personas quæ utramque justitiam ministrant, et inter quas exercetur. Igitur materia circa quam versatur utraque justitia materialiter potest esse eadem, formaliter autem diversa est, ut docet D. Thomas 2-2, q. LXI, a. III. Potest quidem materialiter esse eadem, quia de eisdem rebus potest disponere justitia distributiva, et commutativa, v. g. circa pecunias, circa utensilia, circa honores, et injurias, circa operas et labores: possunt enim hæc distribui a communi ad particulares per modum præmii aut recompensationis, aut pænæ, et possunt etiam per actiones particulares inter se commutari, et jus ac debitum contrahere, sicut a republica datur de communibus bonis militi laboranti pecunia, aut redditus, vel magistratus, et honores, et similiter potest per commutativam justitiam dari alteri pecunia vel redditus pro aliquo quod mihi rependit, et in pretium laboris juxta pactum quod cum illo facio. Itaque utraque justitia circa externas istas operationes, quæ utuntur rebus materialibus, et ad usum humanum pertinentibus versatur. Formaliter autem consideratur materia utriusque justitiæ diverso modo, quantum ad actiones seu respectus earum, quia una respicit distributiones juxta singulorum merita, et proportionem ad præmia; alia respicit commutationes juxta æqualitatem valoris rerum vel operationum inter se. Differt autem inter istos duos modos faciendi justum

seu æquivalens, quod primus constituit justum in proportionibus, secundus in quantitate seu valore. Et prima adæquatio est respectiva et secundum relationem, secunda absoluta, secundum quantitatem vel qualitatem. Adæquantur enim duæ quantitates si tantam extensionem habeat una, quantam alia, vel tantus numerus sit hic, quantus ibi; duæ autem qualitates adæquantur, si tantum valoris sit in ista quantum in illa, ut tantum ponderis perfectionis aut intensionis, etc. Et ideo vocatur hæc proportio seu adæquatio quantitatis arithmetica, quia fit secundum computationem numeri ad numerum, quantitatis ad quantitatem, ut si hoc valet centum, detur illi centum: arithmeticus enim considerat numerum. Adæquatio autem respectiva fit secundum convenientiam unius ad aliud, vel secundum magis et minus: quod enim convenit uni, non convenit alteri, et quod est magis aptum isti, non est illi, et quod magis excedit, magis ei debetur in eo in quo excedit, non in alio: quæ omnia secundum diversos respectus variantur; et ideo proportio seu adæquatio, quæ hoc modo fit, vocatur geometrica, quia fit secundum proportionem diversorum respectuum, qualem geometra considerat in diversis figuris et quantitativibus. Sicut, v. g. si pater familias debet distribuere familiæ suæ vestes, non debet easdem dare toti familiæ, sed minoribus minores, et majoribus majores, unicuique secundum proportionem; sic enim fit æqualitas respectiva et proportionalis, non absoluta. Et rex ille qui dedit talenta servis suis, uni quinque, alii duo, alii unum, unicuique secundum propriam virtutem, distributionem fecit æqualem in proportionem, non æqualem absolute.

II. Secunda differentia, eaque præcipua sumitur ex parte debiti,

seu juris secundum quod utraque justitia suam materiam respicit. Ut enim dicit S. Thomas 2-2, q. LXI, a. 1 ad v: « Justitia distributiva et commutativa non solum distinguuntur secundum unum, et multa, sed secundum debiti rationem: alio enim modo debetur alicui id quod est commune, alio modo id quod est proprium. » Ubi insinuat differentiam debiti seu juris utriusque justitiæ, quod jus, seu debitum distributivæ est ex parte rei communis ut dandæ particularibus, non ut pretium alicujus operis aut valoris, sed ut præmium vel ministerium dandum juxta cujusque dignitatem, meritum, vel proportionem ad tale munus, et respective etiam ad alios, quibus etiam distribuendum est de illis bonis. Jus autem, seu debitum commutativæ est ex parte rei propriæ alterius, vel actionis quam mihi communicat, et juxta valorem et pretium ejus, retribuendum est. Et sic jus commutativæ est jus proprietatis, seu domini, aut alicujus æquivalentis; in vi cujus alter tenetur recompensare. Jus autem distributivæ est jus fundatum in dignitate et proportione ad bona communia, ut sibi juxta talem proportionem distribuantur. Unde debitum seu obligatio quæ consurgit in tali distribute, non oritur ex aliqua actione, vel communicatione particularium erga se, sed vel ex ipso jure boni communis, seu communitatis, et reipublicæ, quæ postulat ut præmia et onera seu ministeria proportionate juxta possibilitatem, et dignitatem cujusque distribuantur, vel si respublica, et communitas non potest inducere jus contra distribuentem, quia est totaliter illi subjecta, sicut universitas creaturarum Deo, oritur talis obligatio ex ipsa intrinseca æquitate et naturali rectitudine Dei quæ se postulat, ut in his justum faciat et secundum